

www.e-rara.ch

**Disputatio logica, exhibens positiones quasdam, ex libr. Aristotel.
peri hermēneias, praecipue desumtas**

Wettstein, Johann Rudolf

Basileae, [ca. 1643]

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-23207>

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

DISPUTATIO LOGICA:

*Exhibens*POSITIONES
QUASDAM,ex libr. Aristotel. *De Equevocias*,
præcipuè desumptas:*Quas,*

D. O. M. J.

IN ILLUSTRIRAUACORUM
ATHENÆO;

SCITU ac PERMISSU

*Amplissimi & Sapientissimi Ordinis
Philosophici;*

SUB PRÆSIDIO

*VIRI Reverendi & Clarissimi,*D.M. JO. RODOLPHI WETSTEINI,
Organi Aristot. Professoris;*Publicæ disquisitioni subicit,*HEINRICUS STOCKERUS,
Scaphusâ-Helvetius.*Ad diem 19 Maji, An. M DC XLIII.*

Horis locoque solitis.

BASILÆ, Typis GEORGI DECKERI,
Academiæ Typographi.

DISPUTATIO LOGICA

PROPOSITIONES

DE ASSUMPTIS

EX LIBRARIIS SOCIETATIS REGIAE

UNIVERSITATIS

IN LIBRARIIS REGIAE CORLE

ATRA

REACTA

AD PRAESENTIUM

PER

LIBRARIUM

DE

D. M. J. RODOLPHI WETSTINI

IN

LIBRARIIS

FRANCIS STOKERUS

PHYSICUS

IN

LIBRARIIS

Basiliae, Typis Georgii Deckeri,

Anno 1774.





CONSTITUIMUS, DEO OPT. MAX.
CLEMENTER ANNUENTE, THESES NONNUL-
las, ex libro Aristot. de Interpretatione in primis excerptas, pu-
blice disquisitioni proponere. omittis autem quæ sine fructu, quæque
inani subtilitati magis acclinata sunt: cognitione di-
gnissima excerptimus.

THESES I.

QUÏS, quod ab Aristot. ἐστὶ ἐκινεῖας, de Interpre-
tatione, inscribitur; præcipue quidem, sed non tan-
tùm, ad secundam operationem intellectus pertinet:
comprehendit enim terminos, tam simplices, quàm compositos.

I I.

Interpretatio, est vox articulata, quæ mentis conceptum
de re quam, ex instituto significat.

I I I.

In hac definitione, consideranda veniunt: 1. Subjectum,
quodnam sit? Zab. libr. 2. de Natura log. c. 5. ait: Inscr-
bitur liber ille, de Interpretatione, à re consideratâ. Subjectum
igitur materiale, Interpretatio, ipsum definitum.

I V.

Per vocem ἐκινεῖας designatur; Non, linguæ alicujus in
aliam translatio: Non, sola Enunciatio; ut Ruv. Tol. præ-
fat. in hunc libr. & alii perhibent: sed, tam dictiones,
quàm Enunciations.

V.

Probatur. α. Quia, Aristot. cap. 1. dictiones appellat
ὀμολογᾶς, notas, h. e. Interpretationes passionum. β. Quia,
idem, Interpretationem dividit, in simplicem, & complexam.
γ. Ex Zab. cit. loco, ubi ait: Interpretatio, est vox arti-
culata significatrix: & amplectitur, tam simplices terminos,

Nomen & Verbum; quàm Enunciationem: de quibus utrisq; loquitur eo libro Aristoteles. §. A scopo, quem sibi Aristoteles in hoc libro proponit: explicare scilicet partes syllogismi: quæ sunt, vel simplices; ut, Nomen & Verbum: vel, ex simplicibus composita; ut Enunciationes. Pac. procem. h. l.

V I.

2. Genus. *Quid, per Vocem articulatã intelligatur? Resp. Notiones externa; quæ sunt internorum animi conceptuum signa atq; symbola: sive oretenus voce articulata expressa; sive scriptis literis exarata. D. Luc. exp. Org. Ther.*

V II.

Pergit c. 2. explicare Aristot. singulas interpretationis species: & primum, Simples, Nomen & Verbum. Inter simplices autem, præponit Nomen, ut simplicius: quia, Nomen sine tempore significat.

V III.

Nomen, est vox significans ex instituto, sine tempore, cujus nulla pars significat separata.

V IX.

Dico; esse Vocem: ad excludendos sonos inarticulatos brutorum & instrumentorum.

X.

Subjungo; esse vocem significantem: ut excludantur voces, 1. Nihil significantes. 2. Consignificantes: ut, Adverbia, Præpositiones, Conjunctiones, & similes.

X I.

Adjicio; esse vocem significantem κατὰ οὐσίαν, ex instituto, seu composito. 1. Quia, Nomina, non sunt à naturâ constituta; sed, ab omnibus, pro arbitrio, imposita: datã ad ea fingenda ipsis potentiã. 2. Probat Aristot. istâ ratione: Naturalia, sunt apud omnes homines eadem: ut, ignis ubiq; æquè urit. Sed, voces, non sunt apud omnes eadem: E. Voces, non sunt à naturâ; sed, ex instituto.

XII. No-

XII.

Nomen dicitur significare sine Tempore: ut altera species Interpretationis simplicis, Verbum, excludatur; quæ adsignificat tempus.

XIII.

Subnectitur: Quòd nulla pars Nominis significet separata: ad differentiam Orationis: cujus partes seorsim aliquid significant. Dantur quidem interdum Nomina [ut & Verba] quorum partes, siue syllaba, (per accidens) aliquid significant: quia tamen (per se) rem totā non denotant; nihil significare, jure pronunciantur. Arist. Metaph. 3. Quis enim, voce NOBIS, existimet significari iteratam natationem; aut, nomine Verbofus, denotari spurcum illud animal; aut, verbo COGITAVI, indigitari vim, aut volucrem?

XIV.

Verbū est, quod adsignificat tempus, cujus nulla pars significat separatim: & semper est nota eorum, quæ de alio dicuntur.

XV.

In hac Verbi definitione, Aristot. (studio brevitatis) omittit ea, quæ Nomini & Verbo sunt communia: videlicet, quòd Verbum, perinde ut Nomen, sit vox significans ex instituto, quod utiq; sub-intelligendum hīc est.

XVI.

Dicitur: Verbum adsignificare tempus. In hoc à Nominis distinguitur: quod nudè rem significat. Verbum autem, connotat tempus; significatq; rem, ut in tempore factam. V.g. cum dico, Legit: & actionem legendi, significo: & temporis mentionem facio.

XVII.

Notandum itaq; duo Verbum habere officia: Significare, & Adsignificare. 1. Significat rem aliquam. 2. Adsignificat tempus.

XVIII.

Tandem: Verbum, dicitur; nota eorum, quæ de alio dicuntur: h.e. attributi. quasi dicatur: Verbum, est signum, quod denotat Prædicati alicujus cum Subjecto conjunctionem.

XIX.

Deniq;: tam Nominæ, quàm Verbo, accidit; ut dicantur, Finita vel Infinita. Finita, quæ determinatè; Infinita, quæ indeterminatè significant: cum accommodari possint infinitis Entibus, & Non-Entibus. Ruv. Tol. Pac. in l. de Interpr. cap. 3.

XX.

Pari modo: alia, Obliqua; alia, Recta nuncupantur. Rectum quidem Nomen, quod Nominativo; Obliquum, quod alio casu effertur, quàm Nominativo. Verbum rectum, quod Indicativi Præsentis; Obliquum, quod aliud est Modi ac Temporis.

XXI.

Adhuc de Interpretationibus simplicibus, seu incomplexis. Sequuntur, quæ ex illis constant. Ex incomplexis Interpretationibus existit Oratio: quæ est vox significans ex instituto: cujus aliqua pars significat separata; ut dictio; sed non, ut affirmatio, vel negatio. Aristot. c. 4.

XXII.

Definitur Oratio, ex Genere & Differentiâ. Genus est: Vox significans ex instituto. h.e. Interpretatio. Differentia, quæ Orationem facit differre à Nomine & Verbo, est duplex: Una; quod partes Orationis, significet aliquid, per se accepta: quia, sunt Nomina, & Verba. Altera; quod Orationis partes significant, ut dictio; non, ut affirmatio, aut negatio.

XXIII.

Oratio, alia est Imperfecta, alia Perfecta. Imperfecta, quæ non habet integrum sensum; sed, imperfectum & interruptum: adeoq; suspensum relinquit animum auditoris. Dicitur

citur autem Imperfecta: quia, finem Orationis, (qui est, ani-
mi cogitata exprimere) non attingit. Talis illa Ter. Quid, si
nunc cælum ruat? Perfecta vero est Oratio; quæ perfectum
sensum generat in animo auditoris: qui facit intellectum
quiescere, quantum ad apprehensionem alicujus rei.

XXIV.

Perfectam Orationem dividit Aristot. in Enunciativam,
& Non-enunciativam. Oratio Non-enunciativa
est, quæ quidem suo modo sensum perfectum ponit; propriè
tamen, nec verum, nec falsum dicit. Tales sunt: Imperati-
væ; Optativæ; Imprecativæ; Interrogativæ; Tro-
picæ; Figuratæque locutiones. Has autem, hisq; simi-
les, ceteræ Non-enunciantes, missas facit Logicus. Ea signi-
dem duntaxat curat, quæ ad finem suum obtinendum fa-
ciunt. At, Enunciationes istæ, nec syllogisticae sunt; nec de-
terminatè verum aut falsum dicunt: nisi in logicas res solvan-
tur. Aristot. cap. 4.

XXV.

Oratio Enunciativa, seu Enunciatio, est; in qua verum,
aut falsum dicitur.

XXVI.

Partes Enunciationis, sunt vel principales, vel minus
principales. Illarum duæ, saltè, in unâ Enunciatione, re-
periuntur: Subjectum & Prædicatum. Harum plures,
in una Enunciatione, concurrere possunt. [Ideo in Enuncia-
tione sensus potius, quàm verba singula sunt ponderanda.]
Illæ, sunt Essentiales: hæ, essentialibus apponuntur: easdemq;
integrant vel determinant. Plerumq; vocantur Syncate-
goremata.

XXVII.

Ex præc. thes. apparet: quid discriminis sit, inter Subje-
ctum & Nomen: itemq; inter Prædicatū & Verbum. 1. Dixi-
mus: Subjectum & Prædicatum, pluribus posse constare voci-
bus:

bus: Nomen & Verbum, sunt voces simplices. 2. Subiectum & Prædicatum, sunt partes Propositionis, jam actu constituta: Nomen & Verbum, sunt partes Enunciationis; atq; hinc etiam Propositionis; quatenus ex iis Enunciatio, vel Propositio aliqua, fieri & componi potest. 3. Aristot. Verbum appellat notam eorum, quæ de alio dicuntur, h.e. Prædicati. Hinc, secundum Keckerm. syst. log. l.2. cap.1. Nomen & Verbum, partes signantes; Subiectum & Prædicatum, partes signatas, haud incommode appellare possumus.

XXVIII.

Sed, quid statuendum de Copula? Resp. Copula EST tertii adjecti, est velut medium, quo extrema conjunguntur: ait Rod. Gocl.2. part. probl. log.20. seu, est signum unionis partium: secundum Keckerm. syst. log. l.2. c.1. Quod si nunc, medium, seu signum hoc, partem Enunciationis vel Propositionis nominare, quis velit: dicamus, esse partem formalem: quia, est signum formale compositionis Prædicati cum Subiecto. extremum, tamen, esse, haud dicemus.

XXIX.

Dividitur Enunciatio: 1. in Unam & Multiplicem; respectu significationis. Nam, Una, rem unicam; Multiplex, res plures significat. 2. Ratione Essentia, seu respectu partium essentialium, in Simplicem, & Compositam. Simplex, unum Prædicatum, de uno subiecto, affirmat, vel negat. Composita, pluribus Enunciationibus constat.

XXX.

Enunciatio, ad Simplicem & Compositam, non est genus Univocum.

XXXI.

Simplex Enunciatio subdividitur, in Absolutam, quæ absolute aliquid alicui inesse dicit; & Modalem, quæ aliquid inesse dicit, cum certo aliquo modo.

XXXII. Ho.

XXXII.

Horum numerantur quatuor: Necessè, Contingens, Possibile, Impossibile.

XXXIII.

De Modalibus Enunciationibus, in Logicâ non inutiliter præcipitur.

XXXIV.

Effectus contingens, quando est, non amplius est contingens; sed, necessarius. Omne enim quod est, quando est, necesse est esse. cap. 9. S. 12.

XXXV.

Composita subdividitur, in Hypotheticam, Copulativam, Discretivam, Disjunctivam: quæ sic appellantur à talibus Conjunctionibus, quarum vi copulantur.

XXXVI.

Secundùm Qualitatem, Enunciatio dividitur, in Affirmativam, & Negativam. Affirmatio, est Enunciatio alicujus de aliquo. h. e. quâ aliquid alicui attribuitur. Negatio, est Enunciatio alicujus ab aliquo, h. e. quâ aliquid ab aliquo removeretur, sive tollitur. Aristot. c. 6.

XXXVII.

De quolibet, vera est, aut affirmatio, aut negatio.

XXXVIII.

Secundùm Quantitatem, Enunciatio dividitur in Universalem, Particularem, Indefinitam, & Singularem. Universalis, signum Universale; Particularis, signum particulare; Indefinita, nullum; præfixum Subjecto habet. Singularis, constat Subjecto singulari.

XXXIX.

Secundùm Materiam, Enunciatio; 1. est vel vera, vel falsa. Vera, affirmat, vel negat, uti res est. Falsa, affirmat, vel negat, non uti res est. 2. Alia Necessaria, alia Contingens, alia Impossibilis, alia Possibilis.

XL.

Veritas Enunciationum, subsistit in naturâ & affectione rerum disponendarum. Vid. Will. disp. log. 5.

XLI.

Enunciatio, in unâ disciplinâ verâ, in alterâ nequit esse falsa. Prob. ex Arist. c. 14. S. ult. ἐδέσθη ἀληθείας [δόξα] ἀληθεῖ ἑναντία. i. e. Nunquã vera [opinio] vera est contraria. Et 1. Ethic. cap. 8. τῷ ἀληθεῖ πάντῃ συνάδει τὰ πάροχα. Sensus est: Omne verum, secum ipso non pugnat, nec à se ipso dissentit; sed omninò concordat & consentit. Atq; hoc ita verum est; ut, nec Theologia cum sanâ Philosophiâ pugnet; nec axioma, in Theologiâ verum, in Philosophiâ falsum sit.

XLII.

Ratione Subjecti & Prædicati, Enunciatio, est vel Finita, vel Infinita. Finita, cujus Subjectum & Prædicatum est finitum. Infinita est, cujus Subjectum, vel Prædicatum, vel utrumq; est infinitum.

XLIII.

Enunciationes infinitæ, à Negantibus, rectè distinguuntur. Ut enim Enunciatio sit negativa; oportet, particulam negantem, justo loco, poni: quod fiet; si eam copulæ proximè præposueris. Hac de Enunciationibus, seorsim spectatis.

XLIV.

In illarum comparatione, maximè spectatur earundem Equipollentia, Consecutio, & Oppositio. Cæteris dimissis, breviter de istis aliquid subjicimus.

XLV.

Oppositio est duarum Enunciationum repugnantia, eodem Subjecto, Prædicatoq; constantium, secundum affirmationem, & negationem. Conimb. de oppos. cap. 6.

XLVI. Ut

XLVI.

Ut legitima sit oppositio; fiat αὐτῷ τὸ αὐτῷ, κατὰ τὸ αὐτῷ, ἐν αὐτῷ, ἐν τῷ αὐτῷ χρόνῳ. i.e. Ad idem, secundum idem, eodem modo, eodem tempore.

XLVII.

Oppositionem enunciationum agnoscimus triplicem; Contrariam, Contradictoriam, & Subcontrariam. Prior, duarum universalium; Posterior, universalis & particularis; Ultima, duarum est particularium.

XLVIII.

Oppositorum & Contrariorum hac est differentia: quod, Opposita quidem in eodem subjecto esse nequeant: Contraria verò, sub eodem genere maximè distent.

XLIX.

Contradictoria simul vera, vel falsa esse nequeunt: quia, dicunt simul, esse, & non esse. At impossibile est, idem, simul esse, & non esse. Altera igitur contradictionis pars, falsa est necessario. Proin &, tanquam certissima veritatis regula, Examen contradictionis, in controversis quibuscumq; adhibetur.

L.

Consequentes Enunciationes sæpè sunt Equipollentes. Unde Consecutio, & Equipollentia, sæpè pro eodem accipiuntur. Rod. Gocl. Hag. in Org. Arist. lib. 2. §. 9.

Quæritur: Utrum Privationis affirmatio, & Habitûs negatio; & vicissim, Privationis negatio, & Habitûs affirmatio, sensu æquipollent; & ritè sese consequantur?

RESP. Habitum & Privationem, aut absolutè considerari: aut, cum respectu, ad suum subjectum, quod illorum est δεκτικόν. Priore modo, considerantur à Philosopho. lib. 1. Prior. cap. ult. Ubi attributa finita, (quibus similes ait Habitûs) & infinita, (quibus comparat Privationes) expendit: eorumq; consequentias ostendit. Sic fatemur veras, tutasq; esse regulas, quas ibi tradit Aristoteles: nempe,

1. Ad affirmationem finitam [sic, ad positionem habitus] consequi negativam infinitam : [sic, negationem privationis :] sed, non contrà. E. g. *Est justus* : E. *Non est injustus*. Non contrà : *Quia, quod non est ; non quidem est injustum ; nec tamen est justum.*

2. Ad affirmationem infinitam [sic, ad positionem privationis] consequi negativam finitam [sic, negationem habitus :] non autem vicissim. E. g. *Est injustus* : Ergo, *non est justus*. Non vicissim : *Quia, quod itidem non est, non est justum ; nec tamen est injustum.*

Non autem dubitamus, aliter rem habere : 1. Ubi subjectū, quod reverà in rerum naturà existit, exprimitur. 2. Si subjectum illud, sit *δεκλινεῖν*, i. e. aptum ad recipiendum habitum, vel privationem. Atq; adeo, 3. Si cum hoc respectu attributum, de subjecto prædicetur. Quomodo asserimus :

A negatione Privationis, ad affirmationem Habitūs ;
Itemq; A negatione Habitūs, ad affirmationem Privationis ;
licere, ac tutum esse, nectere consequentias. Quum, *Æquipollentes reddi Enunciationes tales, certissimum sit : à quarū proin unà ad alteram reciprocè valeat consecutio.* Sic *Rod. Gocl. l. all. Reg. 5.* Privationis affirmatio, est Habitūs negatio : & Privationis negatio, est Habitūs affirmatio : scil. in subjecto congruente. Pro quibus alii, *Æquipollere*, in subjecto habili, ajunt. *B. Keckerm. Syst. log. lib. 2. cap. 5. Can. gen. 9. Cour. Dieter. lib. 2. Dial. cap. 12. Can. 5. Confer. ejusd. lib. 1. Dial. cap. 19. Can. 1. Consentiunt : Phil. Mel. Erot. Dial. l. 4. reg. de privat. oppos. Ort. Casin. Collat. & Exeg. Log. Ram. & Mel. lib. 1. c. 17. fin. Item, Observat. pract. l. & c. eod. Jul. Pac. Inst. Log. cap. 25. §. 26. Rod. Agric. de inv. dial. l. 1. cap. 27. Casp. Rodol. Dial. loco de oppos. Rod. Hosp. qu. dial. l. 2. pag. 101. 102. & l. 5. p. 651. quæ summam repetuntur Epir. quest. dial. l. 1. p. 60. & l. 3. p. 168. Rod. Gocl. part. dial. l. 1. cap. 9. P. Molin. elem. log. l. 2. c. 13. A. Polan. Syntagm. log. 1. cap. 45. & 66. l. 2. cap. 14. & 20. Hal. Gothofr. Displ. log. 3. ax. 8. de priv. & disp. 7. ax. 6. de æquipol. Christ. Scheibl. op. log. par. 3. cap. 9. §. 18. reg. 14. F. Phil. Pareus, art. Log. lib. 1. c. 28. Joh. Henr. Alsted. Encyclopedie lib. 24. Log. cap. 18. Qui plura cupit, adeat Comment. in lib. Aristot. de interp. Fr. Tolet. in l. 2. c. 1. tex. 9. ubi Boët. & Albert. item Psellum & Amon. allegat. Præsertim Conimbr. in l. 2. de int. q. un. a. 2. & Summulistas : P. Hisp. tract. 5. & c. Fr. Titelm. Dial. l. 2. c. 63. ult. & l. 5. c. 23. P. Fons. inst. dial. l. 7. c. 35. fin.*

Contra *Jac. Zabar. tab. log. pag. 136. Jac. Mart. instit. log. lib. 3. c. 10. ἀπολ. enunc. reg. 8. Joh. Scharff. instir. Log. lib. 2. c. ult. reg. 6. & 7. & c.*

Probatur

*Probatur: 1. Aristot. restim. lib. Categ. cap. 10. §. 11. Καθόλου ἐν ᾧ
 αὐτὸ πέφυκεν ἢ ἕξις γίνεσθαι, πᾶσι τῆτο λέγεται ἐκάτερον αὐτῶν,
 i. e. in quocunq; naturā habitus esse potest, de eo dicitur alteru-
 trum [sic enim potius vertendum, quā ut vulgò, utrumq;] illorum.
 Ratio manifesta est: Quia, sunt opposita, & quidem negantia: quorum
 uno affirmato, alterum negatur: & vicissim, uno negato alterum affirma-
 tur. Observandum, ex seq. §. 12. ἐστρηῶσαι τότε λέγεσθαι ἕκαστον τῶν
 τῆς ἕξεως δεκτικῶν, ὅταν ἐν ᾧ πέφυκεν ὑπάρχειν, ἢ ὅτε πέ-
 φυκεν ἔχειν, μηδ' αὐτῶς ὑπάρχειν. i. e. Tum demum dici; Aliquid
 illorū, quæ habitus sunt capacia, privatū esse: quum, in quo
 [habitus] naturā potest ac debet inesse; aut, quo tempore natu-
 rā aptum est habere; nequaquam tamen insit. Duo itaq; spectanda
 sunt in subjecto, de quo Habitus, aut Privatio predicatur: 1. Ut sit
 δεκτικόν, susceptivum, & quidem πεφυκός, i. e. naturā-habile, tum
 Habitus, tum Privationis. 2. Ut sit ejus maturitatis; quā positā, possit
 ac soleat dici de subjecto. Neq; enim Catulus vocatur Cæcus, ante no-
 nam diem, quā videre solet. Neq; Puer injustus, antequam rationis
 usu polleat, &c.*

*2. Ex Canone Æquipoll. Negatio finita, & affirmatio infinita, quæ
 idem subjectum habent, æquipollent. Rod. Godl. lib. 5. reg. 7. & p. p.
 in Annot. Jac. Mart. inst. log. lib. 3. cap. 10. de Æquipoll. can. 1.
 Lud. Luc. log. part. 2. pag. 94. Christ. Scheibl. ubi 5. reg. 16. §. 19.*

*Hinc optimi quidam Logici, utrumq; etiam Canonem afferunt quem
 videatur (perperam tamen) alicui Aristoteles 5. l. negare: nempe,*

*Ad negantem predicati finiti, rectè inferri affirmantē predicati infiniti.
 Et, Ad negantē predicati infiniti, rectè inferri affirmantē predicati finiti.
 Jac. Mart. instit. log. l. 5. c. cit. de ἀπολ. Enunc. Can. 3. & 4. Casp.
 Barthol. Enchirid. log. part. comm. lib. 2. cap. 5. reg. consec. 3. & 4. quas
 repetit log. maj. part. com. lib. 2. cap. 5. Barthol. Keckerm. Syst. log. lib. 2.
 cap. 2. de propof. inf. Non diffiteor, inquit, sæpissimè accidere, ut
 infinita affirmans, & finita negans æquipolleat.*

*At qui, Canone hoc dato, quum par sit ratio attributorum infinitorum,
 cum Privantibus; [ex cap. 10. de Interpret. §. 5. & 1. pr. l. 5. alleg.] Vi
 ἀαλογίας, rectè etiam infertur. 1. Ad negationem habitus;
 (quæ respondet negationi finiti) affirmatio privationis: (quæ respon-
 det affirmationi infiniti.) 2. Ad negationem privationis, (quæ*

respondet negationi infinita;) affirmatio habitus: (qua respondet affirmationi finita.) Duo interim hic observamus: 1. Subjectum aliquod realiter existens semper supponi. Itaq; non infringuntur ista consequentia illa Aristotelis instantia: Id quod non est, nec esse justum, nec injustum, sive non justum. 2. Subjectum idem determinatum supponi: nempe, in privantibus; ut alterutrum oppositorum possit illidem inesse. Lapis enim non dicitur Cæcus, quum Visus capax non sit. In cæteris, si subjectum sit Homogeneum attributo, aut certus unius ad alterum respectus: putamus, valere etiam superiores consequentias. E.g. Abel non est homo injustus: E. Est homo justus. Tametsi igitur de Lapide & trunculo, &c. quoq; dici possit; quod non sit homo injustus: Non tamen valet illa consequentia: Ergo, lapis, &c. est homo justus. Ratio: 1. Quia, Homo, & Lapis, sive Truncus, &c. toto genere differunt. 2. Quia, nullus est respectus justitiae, sive injustitiae, ad lapidem, seu Truncum. Cautelam addimus: Ne pro lubitu statuatur terminus infinitus. Si enim negativa particula quolibet loco apponatur, error facile obrepit. Atq; ob hanc lubricitatem, fortè Aristoteles repudiavit illationem, à negatione finita ad affirmationem infinitam. Quippe, quâ nonnunquâ falli argumentantem contingit. Docet autem Philosophus, necessarias tantummodo consequentias, velut certas & infallibiles, quales sunt illæ priores. Quamquam non simpliciter rejicit Philosophus, lib. 1. pr. cap. ultim. posteriores has consequentias: Sed, negat tantum, eas semper bonas esse: ac, De omni, valere. Nos vero, in Privantibus, semper & universaliter, ritè consequi; rationibus & autoritatibus nixi allatis; statuimus. Neg; aliter habebit in contrariis, aliisq; oppositis immediatis. Unde consecutiones istæ, potiùs materiae necessitati, quàm Formæ enunciationis, tribuendæ videntur.

Problemata Physica.

I. An privatio sit principium?

Aristot. rejectis aliorum ante se placitis, tria rerum communia principia esse docuit; Constitutionis duo, Materiam & Formam; Transmutationis unum, Privationem. Merito autem erroris est suspecta, hæc doctrina, quod exemplo ostendisse sufficiet. Aqua mutatur in aërem. Hujus mutationis principium, secundum Aristot. est Privatio: 1. quatenus

zenus est absentia formæ aëris in aquâ. 2. quatenus est aptitudo, in materia aquæ, ad recipiendam formam aëris. Ex his enim duabus partibus, conflatur definitio Privationis. At, neutrius respectu, Privatio, est principium. Non prioris: nam, absentia formæ, est merum non-Ens. Quis autem dicet: Non-Ens, esse principium transmutationis corporum naturalium? Non posterioris: Sic enim Privatio, reverâ, non est Privatio: sed merus est vocis abusus; vocare, aptitudinem subjecti, nomine Privationis.

II. An forma fit accidens?

Quod omnis forma (rationali exceptâ) sit accidens, aut accidentium mixtura, probatur.

I. Ex remotione membri alterius immediate oppositi. Nam forma corporis naturalis, est vel Substantia, vel Accidens. Si Substantia sit; erit vel Materialis, vel Immaterialis. Sed neutra est. Ergo.

1. Forma, non est Substantia Materialis. prob. α. Quod materiam, corpusq; informat; illud non est materiale. Longè enim distant Materia & Forma. β. Omne materiale, per se quantum est, & divisibile. Atqui, Natura, omnem dimensionum penetrationem [hic necessario concedendam] vetat. γ. Everteretur illud Aristot. Quicquid fit, ex contrariis fieri necesse est. At, forma materialis, materia contraria, dici nequit.

2. Forma, non est Substantia Immaterialis. prob. α. Ab ortu Formæ. Ferunt enim, formas è potentiâ materia educi. β. A corruptione formarum: quâ omnes, præter Rationalem, damnantur. unde sic arguitur: Forma sunt corruptibiles. E. Non sunt Immateriales. γ. A præstantiâ formæ: Quia, omnis substantia Immaterialis, est excellentior materiali. Quod quidem, in genere formarum, contrario planè modo non habebit. Nam secus; ignobilis ma-

teria,

teria, [qua tamen nullâ arte annihilari potest] firmiorem haberet essentiam, quàm forma: cùm hac in singula momenta, orni & interitui sit obnoxia.

I I. Ex perpetuâ analogiâ inter accidentia & formas. Accidentia 1. generantur, & corrumpuntur. 2. Per totum subjectum diffunduntur. 3. Extra subjectum ne ad temporis momentum subsistere possunt. Annon & formarum eadem conditio?

I I I. An forma educatur è potentia materiæ?

Wendel. sect. I. phys. part. I. cap. 2. ἐκφέρει 3. ait. De ortu formæ, Scholam peripateticam si roges, materiæ potentiam nominat. Hinc illo axiomatico, Forma educitur è potentiâ materiæ, nihil ferè tritius. In hujus autem educationis modo explicando admodum desudant. Hac ille. Nos ita arguimus: Si forma educatur ex materiæ potentiâ; fiet hoc, ex aliquo, in materiâ præ existente, seu latente: Si hoc; erit, illud aliquid, vel de ipsâ materiæ Essentiâ; vel, Accidentia quædam illius: At, forma, (secund. Aristot. sententiam) non oritur ex Essentia materiæ: Quia 1. esset materialis. 2. Principia fierent ex se mutuo: contra secundam principiorum legem. Multominus oritur ex accidentibus materiæ: 1. Quia, sic non esset primum principium. 2. Quia, plerisq; absurdum videtur: Formam esse accidens. E. Non minùs absurdum erit, substantiam ex accidentibus educi.

COROLLARIA POLITICA.

1. An Aristocrazia præferenda Monarchiæ? D.
2. An parricidium excusari possit? N.
3. An Legatis mandata liceat transgredi? D.
4. An filii naturales admittendi sint ad publicos honores? N.

Δόξα τῶ Θεῶ.